



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Svsii E Societate Iesv Opvcvla Litteraria**

**Suys, Nicolas**

**Antverpiae, 1620**

X. Votum Physicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69342](#)

Vndique cornutâ miserum me fronte petebat,  
Vrgebatq; vagas ire redire vias.

O quoties dixi, Vellem tibi Lerna malorum,  
Trux caput herculeâ comminuisse trabe!

Vndique nassa pedes & retia tecta premebant,  
Et laqueus fallax, escaq; plena dolis.

Nigram exertabat quantum canis Appula linguam,  
Crispataq; dabat nare cachinno iocos.

Ridiculus stomachum mouit quandoque sophista,  
Et volui sacros igne cremare libros.

Tum mihi supplicium flammâ soluisset elenchus,  
Soluere quem toties friuola curâ fuit.

Tandem animû rigidô firmaui adamante, cachinnas  
Atque iocos ferreâ spernere fronte iuuat.

Igneâ de cælo luxit pharus, illa maleas  
Euriposq; vagos lux superare dedit.

Euasi dubiasq; vias fluctusq; dolosos,  
Et portum adspicio cælite tutus ope.

Respicte vota sacris quæ pendent, Virgo, feretri,

Verba, sed obsequio verba sacrata tuo.

Verba, equidem fateor, sunt hæc, non mortua verba,  
Toto animo potitur charta animata meo.

Totâ animâ potitur, totum me dedicat vni.  
Nil vbi iam reliqui est, poscere plura nequis.

## ELEGIA X.

## Votum Physicæ.

**D**iua, faue, Sophiae Præses clariſſima noſtræ,  
Quoq; soles olim numine, Diua, faue.

Te

Te duce victa meum mandit natura lupatum,  
 Et patet indomitis ianua clausa seris.  
 Illius aureolis ostentant atria seris, —  
 Quidquid habet tellus, quidquid & orbis habet.  
 Inuia nulla oculos arcent penetralia nostros,  
 Neptuni domus est nota Stygisq; domus.  
 Cælum adij, stellasq; vagas, & fixa coëgi  
 Sidera sub numeros ire superba meos.  
 Non opus aëriæ est imponere Pelion Ossa,  
 Mente polos licuit visere, mente Deum.  
 Ultra etiam cælos vacuum per inane Tonantem  
 Quæsiui, & reperi: non via facta via est.  
 Omnia perlustrans vnam super omnia amavi;  
 Nil tibi præposui composuiq; nihil.  
 Vni cede Deo, cedent tibi cætera Virgo,  
 Matre suâ melius nil Deus esse cupit.  
 Virgo, cui saliunt festo mea pectora plausu,  
 Hæc tibi erunt templum, cor erit ara tibi,  
 Sic vroueo, votiq; libens hac symbola pango,  
 Quæ tibi me nexu non moriente ligent.

## ELEGIA XI.

Præsentatio B. Virginis.

**B**rum apruinoso torpebat lurida canos,  
 Atque pigro stabant flumina vincitæ gelu.  
 Pallidus & Phœbus caudam metuebat aduncam,  
 Frigore quâ rabidus Scorpius vrit agros.  
 Præpete per vacuum rapior sublime volatu,  
 Cum j; viâ fugiunt me quoque signa viae.

Mox